DE
INTERPOLATIONE EURIPIDEAE ELECTRAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXVIII. M. IAN. MDCCCLXIV HORA XI.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS STEINBERG

HALBERSTADIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

HERM. KETTNER, DR. PHIL.
ERNEST. RELLSTAB, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM

TYPIS EXPRESSUM ORPHANOTROPHEI.

[1864]

Verissime dixit L. C. Valckenarius (Praef. Eur. Phoeniss p. XIV) Euripidis fabulas interpolatione, cuius rationes gravissimas ad poetae emendationem esse primus ille ostendit, ita depravatas extare ut plures in uno dramate versus notari posse spurios quam in septem Sophoclis tragoediis contenderit. Itaque in exordio huius disputationis operae pretium est anquirere, quibus causis factum sit ut prae reliquis tragoediae principibus Euripides tantis interpolationibus refertus sit. Quamquam enim Graecorum tragicorum alium aliis temporibus potiorem habitum esse constat, Plato tamen Resp. VIII p. 568 A. *Οὐκ ἐτός, ἦν δ᾽ ἐγώ ἥ τε τραγῳδία ὅλως σοφὸν δοκεῖ εἶναι καὶ ὁ Εὐριπίδης διαφέρων ἐν αὐτῇ;* Euripidem maiore laude floruisse testatur. Itaque non mirum est aut Euripidem imitatos esse qui post eum tragoediae partes susceperunt aut eius versibus abuti qui comoediam factitarunt; adde quod homines posterioris aetatis in assidua huius poetae lectione versati sunt tantamque ei auctoritatem tribuerunt, ut plerisque eum poetis praeposuisse videantur. cf. Hartung De Eur. fabul. interpol. p. 1. A. Nauck Prolegg. de Eur. vita poesi ingenio p. 38. Bernhardy Grundr. der Griech. Lit. II^{b} p. 356 sq. Porro philosophi quique philosophiae studio vacabant assidua lectione eum paene vexarunt et huius inprimis tragici versibus ut Valckenarii verbis utar (Diatribe c. I) tanquam veris optimi morum magistri praeceptis usi vel sapientissimi viri testimoniis multa quae in usum suum converterent, Euripidis ex uberrimo fonte deprompserunt. Denique postquam tragica poesis divini spiritus sublimisque dicendi generis expers vulgarem et expeditum sermonem ascivit, inprimis Euripides concitatam illam rhetoricam in tragoediis obtulit quam histrio-

1

nes suo quisque arbitratu in scenicam artem licenter invexerunt. Inde factum est ut hodie Euripides maiorem quam Aeschylus et Sophocles labem et interpolationem expertus sit. cf. Bernhardy Griech. Lit. II[b] p. 88; 111; A. Nauck Euripid. Studien p. 1. Petersburg. a. 1859. Itaque nostra aetate postquam ars critica Euripidi meliore cum successu consulere coepit, homines docti hanc etiam ad operam se contulerunt ut Euripidi turpissimas interpolationes quibus poetam laborare haud ignorabant eximerent eiusque tragoedias ad integritatem revocare conarentur. Hoc etiam in genere viam muniit Valckenarius editis Phoenissis a. 1755 et in Diatriba in Euripid. perdit. dramatum reliquias a. 1767 cuius ipsa verba quum operae sit cognoscere, infra descripsi. *)

Valckenarium igitur qui aequalium studia mirum in modum excitavit, exceperunt Marklandus, Brunckius, Musgravius donec Rich. Porsonus in Euripidis quattuor fabulas ab se editas meliorem critices rationem introduxit. Deinde P. Elmsleius et God. Hermannus quique his in critico munere successerunt tantum consecuti sunt ut ad hunc usque diem homines docti plurimas in Euripidis fabulis interpolationes diligenter rimarentur idque studium egregio cum fructu iuvarent. Velut in illis quaestionibus versati sunt Hartung De interpol. Eur. fabul. et De interpol. Iph. in Aulide Erlangae 1837; et A. Nauck Eur. Tragg. Ed. alt. Lipsiae 1860; Euripid. Studien in Mémoires de l'Académie impérerialc des sciences de St. Petersbourg 1859. VII. Série T I. n. 12. Adde G. Hermanni dissertationem de interpol. Eurip. Iphig. in Aulide 1847—48 et qui criticis saepe repugnat A. Firnhaber. Die Verdächtigungeu Euripideischer Verse sq. Lipsiae 1840.

---

*) Valck. in Eur. Phoen. praef. 13: Quae quidem hic recte disputasse nonnullis videbor quomodo tandem iis placerent, qui versus per tot saecula lectos et veluti consecratos hoc movendos negant quique hoc facinus tamquam grande piaculum criminantur? Nam hos ne audiendos quidem arbitror, nedum refutandos, qui dura quaevis atque absurda quidquam esse causae negabunt, cur non imputarentur Euripidi.

Sed ne longius a proposito meo videar aberrare, statim ad Electram progredi libet.

De qua fabula quamquam diversa sunt hominum peritissimorum iudicia, fatendum tamen est reliquis poetae tragoediis Electram longe inferiorem esse cf. Seidleri Praef. ad Electram p. V; Bernhardy Griech. Lit. II[b] p. 450 sq. Itaque cum ab iis dissentiam qui propter nimiam mediocritatem negant Electram Euripidi tribui posse, (Voltaire ‚Dissertation sur les principales tragédies') multae tamen rationes obstant quominus ipsam tragoediam quae nunc est in manibus, prorsus concedam ab Euripide profectam esse. Sane qui Electram suis oculis perlustraverint, non dubito quin satis multa vestigia nunc corruptionis invenerint (nam corrupta ac mutilata pars est canticorum), nunc fabricae recentioris: non enim desunt quae Euripidis ingenio parum digna esse videantur. Quod non mirabunt reputantes hanc fabulam quamquam omnes codices Euripidei e libro fluxerunt recenti graviterque interpolato et depravato, omni grammaticorum ope destitutam fuisse. Nam Bycantini homines cum paucas Euripidis fabulas sedulo lectitaverint, in plerisque fabulis non uti licet nisi libris longe deterrimis. Haec autem fabula in uno tantum codice C Florentino XXXII. n. 2. Saec. XIV. servatur quo Euripidis fabulae duodeviginti continentur. Itaque Scholia quoque, quorum in aliis Euripidis fabulis interpretandis vel emendandis haud exiguus est usus, in hac fabula plane desiderantur, praeter paucas annotationes ad quindecim fere huius fabulae versus quae in ed. Matthiae Vol. V. sive nuperae Dindorfianae Vol. IV. extant. Quas qui leviter inspexerit statim intelleget ad nostrum propositum nihil eas valere. Pariter omni veterum Scholiorum ope plane destitutae sunt decem illae fabulae quae codicibus B et C debentur. Item Aldina quae superstites Euripidis tragoedias continet Electram ignorat, quam Romae demum a. 1545 e cod. C primum edidit Petrus Victorius, primus ille criticus, qui veterum scriptorum editiones ad codices deligenter exegit. Idem miseram huius fabulae condicionem satis indicavit in epistola ad Nicolaum Ardinghellum Cardinalem missa: ‚Nunc quum in manus meas venerit Euri-

pidis Electra quae adhuc in tenebris latuit ac situ paene, carieque confecta erat, visum mihi est illam ad te mittere.' Sed recentiori quoque tempore, ut priora saecula silentio praetermittam, pauci tantum ad hanc fabulam melius instaurandam sese contulerunt, inter quos Musgravius, Seidlerus, Matthiae, Nauckius, nuper Kirchhoffius nominandi sunt. Quodsi fata huius fabulae animo quasi divinamus, facile suspicabimur, multis partibus Electram esse corruptam et laceratam. Itaque Piersoni dicto, (Verisim. p. 237) Electram nidulum corruptelarum esse sive Seidleri sententia, (Praef. ad Electr. p. 1) eam critices auxilio quam maxime indigere permotus in hac Euripidis tragoedia operam collocare studui. In qua cum varia corruptionis genera, tum crebras interpolationes observavi, quamqum Valckenarii in Phoeniss. Praef. p. 14 paene contraria sententia fuit. Hanc autem scribendi opportunitatem nactus interpolationes Electrae (Sophocl. Electr. ed. Schneidewin p. 34) diligenter persequi conabor. Quo in negotio Valckenarii iudicium (Praef. ad Phoeniss. p. XIV) 'ut in his temeritatem inconsideratam, sic superstitionem quoque ridiculam evitandam iudico' secutus primum orationem et verborum vim, deinde sententias et totius fabulae naturam, denique personarum mores et ingenia ponderavi. Quamquam vero non satis tuto suspicari licet a quibus singulae profectae sint interpolationes, (certius enim iudicare licebit postquam generalis quaestio de finibus interpolationis per Euripidem fusae ad exitum erit perducta) tamen post criticorum judicia (Valcken. in Phoeniss. 1286; Boeckh De Graec. tragg. princ. p. 14; Bernhardy Grundr. der Griech. Lit. II^b p. 89. 111.) satis iam constare videtur haud exiguum locorum interpolatorum numerum, praesertim sententias communes et flores luminaque orationis a scenicis actoribus invectum eumque satis antiquis temporibus in Euripidis fabulas influxisse. Itaque huius in disputationis cursu sic agam ut aliud genus interpolationis a *scenicis* ortum, aliud ab *hominibus doctis* vel *grammaticis*, aliud a *philosophis*, aliud *criticis metricis* vel *interpretibus* tribuam et a *librariorum* erroribus distinguam. Neque tamen subtilis illa causarum distinctio semper proficit, sed nonnumquam in

medio relinquere debemus, quibusnam hominibus interpolatio tribuenda sit. His igitur praemissis ut ad propositum accedamus, libet ab iis interpolationibus exordiri quas a *scenicis* cf. Valcken. in Phoeniss. v. 1286 ibique Scholiastam v. 271 *οἱ ὑποκριταὶ διὰ τὸ δυςέκφορον μεταπλάττουσι τὴν λέξιν* sq. originem duxisse suspicamur.

Ac primum quaedam esse praefanda videntur de prologo et epilogo huius fabulae. Nam uterque primo quidem obtutu Euripidei moris vestigia prae se fert, diligenter autem si ponderetur, tot offensionibus et ineptiis laborat, ut vix Euripidem agnoscere tibi videaris. Inprimis extrema pars, ut solet, plurimum ab Euripidis virtute degeneravit. Prologus autem quo fabulae status spectatoribus declaratur parum perspicuitatis et planitatis habet cui poeta semper in fabulis suis studuit, sed plura quae ad posteriores argumenti partes pertinent in obscuro relinquit. Huc accedunt ineptiae vix ferendae. Sic versus 15 de quo paulo infra dicam, sine dubio spurius est, neque versus 44 quem etiam Nauckius reiecit, veritatis speciem praebet. Porro quid censemus de verbis *δίκη ἦλθεν* in versu 42? Denique clausula qua prologo finis imponitur, post versum 49 tam inepte sonat ut vix quisquam hunc pannum ab Euripide repetere possit: cf. vv. 1007 sq. 1175 sq. Neque aliter de epilogo (vv. 1233—1359) huius fabulae iudicamus, quem etiam A. Nauckius (Observv. critic. de trag. Graec. fragm. p. 8 sq. Ioachim. Progr. Berol. a. 1855) propter tot res miras et incredibiles non potuit a se impetrare ut genuinum existimaret. Argumentis autem usus est ille satis certis ac manifestis ut extremam huius fabulae partem subditiciam habeamus. Accedit etiam id quod in duobus versibus epilogi 1313 et 1315:

Καὶ τίνες ἄλλαι στοναχαὶ μείζους
ἢ γῆς πατρίας ὅρον ἐκλείπειν

certa scenicorum actorum vestigia deprehendere mihi videor. Debentur enim Medeae versibus 648—651 ubi chorus mulierum iisdem fere verbis utitur quibus Orestes in Electra, ab histrione qui Medeae locum memoria tenebat repetiti. Nauckius sane de tempore cuius iste sit epilogus non ausus est iudicare,

verisimiliter tamen prologum et epilogum Electrae ad scenicos satis antiqui temporis revocabimus. Itaque quum in propatulo sit hanc fabulam praeter spectatorum opinionem in versibus 1231 *ἰδοὺ φίλαν τε κοὐ φίλαν* sq. abrumpi non potuisse, Electram opinamur alio prologo et epilogo quam qui hodie fertur ab ipso poeta instructam fuisse.

His de prologo et epilogo expositis pergam ad eam partem interpolationum, quam aut scenici memoria sua locorum similium abusi subornasse videntur, aut literati homines vel librarii qui versus ex aliis in alias fabulas transtulerunt. Sane hoc nomine magnum numerum versuum ex Phoenissis, Medea, (Piersoni Verisim. I. c. 5). Hippolyto, Alcestide summi critici expunxerunt; plura tamen in reliquis fabulis supersunt, praesertim in Electra huiusmodi versus extant, in quibus illi nondum offenderunt. Sic versus 294 – 296 *) qui Oresti falso tribuuntur, scenicorum opera huc invectos esse manifestum est. Versus vulgo sic leguntur:

Ἔνεστι δ᾽οἶκτος, ἀμαθία μὲν οὐδαμοῦ
σοφοῖσιν ἀνδρῶν· οὐ γὰρ οὐδ᾽ ἀζήμιον
γνώμην μὲν εἶναι τοῖς σοφοῖς λίην σοφήν.

Emendavit Musgravius ex Stobaeo Floril. Tit. III. p. 22. qui habet *ἀμαθίᾳ*, deinde *σοφοῖσι δ᾽ ἀνδρῶν*, postremo *ἐνεῖναι τοῖς σοφοῖς λίαν.* Miror tamen quod criticorum fere nullus in his versibus haesit, adeoque Hartungus eos magnopere laudavit. At enim multis ex causis suspectos habeo. Primum enim verba ipsa minus idoneam quam Oresti tribuamus sententiam exprimunt, ac multum abest ut credamus a poeta quam postmodum Stoici commendarent *ἀπάθειαν* impugnari. Hoc Stiblinus senserat, quem sequitur Prevostus his verbis: ‚Oreste dit ceci pour excuser les larmes qui lui échappent malgré lui. Et Euripide profite de cette occasion pour attaquer les philosophes qui professaient déjà l'apathie que Zénon érigea en principe un siècle après Euripide.' Quamvis enim satis superque constet Euripidem eum fuisse qui multa studiis philosophorum tribueret, eumque placita interioris doctrinae in

*) Numeri sunt ex A. Nauckii Ed. alt. Lips. 1860.

tragoediis disseminasse, quo spectat etiam apud illum frequens usus vocabuli ‚σοφός', tamen haec ab illo loco abhorrent. Quid enim poetam movisse putamus ut quid animi motus apud sapientem et agrestem vel aliorum ordinum homines differrent exponeret? Enimvero satis colligi posse crediderim, hos versus ad aliam poetae fabulam pertinere, in quam oppositio nominum ἀμαθής et σοφός recte conveniret. Porro dubito quo spectent verba sequentia οὐ γὰρ οὐδ' ἀζήμιον quae H. Grotius ad Stobaeum vertit: ‚Noxa imminet cum sapere sese qui putant, sapiant nimis' et melius in Excerpp. p. 336. ‚Solet non absque damno sapere qui nimium sapit.' Haec autem sententia cum ab hac re plane discrepet, tum vehementer repugnat iis quae antecedunt et Orestis sensum plane dedecet. Accedit etiam id quod hoc loco eadem repetitur sententia, cf. vv. 918—924; 950—937 quam repetitionem poetas tragicos diligenter evitasse viri docti scite animadverterunt. Neque poterit ex Euripidis fabulis excitari quod ad illos versus in hac sede ridiculos possit conferri; nam Phoenissarum versum 51 ob eandem causam Valckenarius expunxit. Quum enim versibus 290. 291 οἴμοι, τὸ δ' οἶον εἶπας sq. poeta iam dixisset, etiam alieni hominis infortunio nostrum sensum affici, nunc denuo ille exorditur et misere claudicant versus 294—296 praesertim cum versu 293 Orestis oratio apte absolvatur neque quisquam plura desideret. Neque chori verba v. 297 κἀγὼ τὸν αὐτὸν τῷδ' ἔρον ψυχῆς ἔχω sq. cum postremis Orestis cohaerent cf. Med. vv. 906. 7, sed potius incommode subsequuntur cf. El. vv. 1100. 1; Troad. 1207. 8. Id enim chorus optat ut Electra miseram rerum condicionem exponat quam Orestes vv. 292. 93. audire cupiverat quamque ipse ob longinquitatem urbis nescire sese profitetur. Restat ut argumentum gravissimum ad iudicium meum stabiliendum afferam. Leguntur enim haec verba apud Stobaeum Floril. Tit. III. p. 38, 27. ed. Gaisf. tanquam ex Euripidis Antiopa tragoedia petita sic:

Εὐριπίδου Ἀντιόπη

Ἐγὼ μὲν οὖν ᾄδοιμι καὶ λέγοιμί τι
σοφὸν, ταράσσων μηδὲν ὧν πόλις νοσεῖ.

ἔνεστι δ᾽ οἶκτος ἀμαθίᾳ μὲν οὐδαμοῦ
σοφοῖσιν δ᾽ ἀνδρῶν· καὶ γὰρ οὐδ᾽ ἀζήμιον
γνώμην ἐνεῖναι τοῖς σοφοῖς λίαν σοφόν.

Negavit Seidlerus esse hos versus Antiopae, haud dubie Valckenarium secutus qui (Diatr. c. 8. p. 81) eos ex Euripidis Electrae v. 294 petitos monuit, sed argumentis usus infirmis maximeque dubiis. In Trincavellae editione, inquit, hi versus a praecedenti fragmento separantur. Eadem tamen editio incertum facit an ipsum quod antecedit fragmentum

ἐγὼ μὲν οὖν ᾄδοιμι καὶ λέγοιμί τι
σοφὸν, ταράσσων μηδὲν ὧν πόλις νοσεῖ,

ad Antiopam pertineat. Apud Trincavellam enim non huic fragmento, quemadmodum apud Gaisfordum, sed praecedenti.

Τρεῖς εἰσὶν ἀρεταὶ, τὰς ἐχρῆν σ᾽ ἀσκεῖν τέκνον,

ascribitur hoc lemma: *Εὐριπίδου Ἀντιόπη*. Sed proximum fragmentum ἐγὼ μὲν οὖν ᾄδοιμι sq. simplicem habet annotationem ‚τοῦ αὐτοῦ' eaque pertinet etiam ad versus ex nostra fabula depromptos. Quae quum ita sint, non sequitur si Trincavellae editio hos versus ex Antiopa petitos ignorat, ut Antiopae fabulae derogandi sint. Atqui fragmentum illud ἐγὼ μὲν οὖν ᾄδοιμι sq. quod an pertineat ad Antiopam incertum esse putat Seidlerus, in collectionibus Euripidis fragmentorum, apud Nauckium Tragic. Graec. Fragm. Lips. 1856. p. 334. fr. 201. et Fr. Wagnerum Poetarum Trag. Graec. Fragm. Vratislaviae 1844, sive ed. Paris. 1846. Vol. II. p. 210. fr. 25. auctore Parisino A. ad Antiopam refertur, eidemque fabulae tribuit Valckenarius (Diatr. p. 80) quem egregio cum fructu reliquias Antiopae tractasse constat. Quid quod in Stobaeo Gesneri p. 38, 17 et Grotii p. 23. ex Antiopa sumpti leguntur non (ut in illis fragmentorum collectionibus) duo sed quinque versus continui, quos omnes dudum Barnesius ad Antiopam rettulerat vv. 49—53. Itaque cum hoc fragmentum ἐγὼ μὲν οὖν ᾄδοιμι κτλ. ex Euripidis Antiopa petitum in Stob. Gaisfordi *Εὐριπίδου Ἀντιόπη*, apud Trincavellam ascriptum tantum habeat ‚τοῦ αὐτοῦ', idemque lemma tres versus Electrae exhibeant, non dubium est quin hi tres versus ad Antiopam per-

tineant praesertim cum tria illa fragmenta sese deinceps excipiant. Constat autem inter perditas Euripidis tragoedias primariam et celeberrimam fuisse Antiopam, (Valcken. Diatr. c. VII; Bernhardy Griech. Liter. II[b] p. 399) scenam autem illius nobilissimam qua Amphionis et Zethi fratrum disceptatio continebatur. Itaque cum ad illustrem fabulae partem non solum scriptores clarissimi respiciant Plato, Cicero, Dio Chrysostomus alii, verum etiam Pacuvius tragicus Antiopam Euripidis latinam fecerit, satis verisimile est, scenicos potissimum ex hoc dramate versus deprompsisse, depromptos in alias fabulas transtulisse. Tres autem illos versus ex hac fratrum disceptatione petitos esse ibique optimum locum tenuisse nemo facile negaverit cognitis Valckenarii *) verbis. Itaque suspicor Amphionis esse verba, *ἔνεστι δ' οἶκτος ἀμαθίᾳ μὲν οὐδαμοῦ Σοφοῖσι δ' ἀνδρῶν*, (Eur. Antiop. fr. 3) ad contrariam fratris orationem respondentis, Zethi autem quae sequuntur, *Οὐ γὰρ οὐδ' ἀζήμιον Γνώμην ἐνεῖναι τοῖς σοφοῖς λίαν σοφήν*. (cf. Zethi verba ex Antiop. fr. 8). Haec autem verba quae apud Stobaeum continuantur (Eur. Alexandr. fr. 2. Stob. 113. p. 584; Androm. fr. 26; Oenei fr. 3; Aristoph. Georg. fr. 156) Amphiona et Zethum non dedecent quorum Amphion verbis *ἔνεστι δ' οἶκτος ἀμαθίᾳ κτλ.* philosophiam seu musicam defendit, sapientiae virtutisque utilitatem commendat; illis autem *οὐ γὰρ οὐδ' ἀζήμιον κτλ.* agrestis Zethus nimium philosophiae studium (*γνώμην ἐνεῖναι τοῖς σοφοῖς λίαν*

*) Diatriba p. 67: ‚Musicus Amphion, Zethus pastor et rusticus pro sua quisque arte disputarunt in Euripidis dramate; sed more hominum facientes qui suarum quisque opinionum studio abrepti causam, de qua agere coeperint, in aliam saepe derivare solent, motam de sola musica, essetne utilis necne, controversiam ad alia fratres traduxerunt Euripidei, suas poeta delicias philosophiam, veri nominis musicam, amantem fecit Amphiona, cumque hic in artis suae defensionem sapientiae virtutisque utilitatem commendasset, agrestis ille Zethus, primum musicam ad maiora nato *inutilem* esse contendit et *noxiam*, quippe quae rectam indolem necaret; tum omnibus conquisitis, quae dici possent in *nimium philosophiae studium*, altius provectus studium in universum sapientiae virtutisque vituperavit effecitque adeo, ut, seposita tantisper lyra, fratris severitati morem gesserit Amphion atque ad armenta remque familiarem tuendam augendamque animum adiecerit.'

σοφήν) inutile contendit esse et noxium. Antiopam igitur, non Electram poeta elegit, ut liberalium artium studia ab adversariorum calumniis vindicaret et Amphionis Zethique h. e. sapientis et rustici certamen spectatoribus proponeret.

Leguntur porro in Electra versus 1097—1099:

> Ὅστις δὲ πλοῦτον ἢ εὐγένειαν εἰςιδὼν
> γαμεῖ πονηράν, μῶρός ἐστι· μικρὰ γὰρ
> μεγάλων ἀμείνω σώφρον' ἐν δόμοις λέχη.

ubi Stobaeus exhibet *σώφρον' εἰ δόμοις ἔχει; σώφρων εἰ δόμοις ἔχει* Voss. *ἐν* Gesn. marg. *ἔχει* et *εἰ δόμοις ἔχει* Trinc. Hinc alii aliter locum tentarunt, ut Nauckius *σώφροσι δόμοις ἔχειν*. Tres igitur illi versus servantur ab omnibus criticis praeter Nauckium, qui hos tres et quinque versus continuos inde a v. 1097—1101 incommodos esse existimat. Profecto non solum incommode sed prorsus absurde hic positos esse demonstrabo. Postquam enim Clytaemnestra inde a v. 1011—1050 Agamemnonis caedem a se perpetratam defendit, Electra libere dicendi venia data (cf. vv. 1049. 1056) inde a v. 1060—1100 defensionem istam refutans iniuste patrem occisum esse contendit et meritam vindictam instare pronunciat. Sic (cf. v. 1096) aptissimum orationi finem imponi putamus, nec quidquam praeterea videtur desiderari. Quid quod ista verba satis ab oratione praegressa discrepant, neque est cur Electra contra Clytaemnestram, in quam non cadant, talia verba faciat. Hartungus igitur de his versibus recte iudicat in libello De interpolatione Iphig. in Aulide p. 34: Haecce in Electra 1097—99 si Aegistho exprobrarentur, non' improbaturum me fore arbitror; adversus Clytaemnestram autem tam inepte dicuntur quam sunt a reliqua oratione discrepantia. Sublatis enim illis vim suam dignitatemque orationi redditam videbis. Huic assensus equidem versus ab aliena manu interpolatos esse opinor. Sed cum ex alio loco dudum suspicarer eos immigrasse, probabiliter mihi videbantur ad orationem Electrae referri posse, quam adversus Aegisthum direxit. Versus enim superiore loco si collocantur 941, rectior existit versuum hic ordo:

῾Ο δ' ἠπάτα σε πλεῖστον οὐκ ἐγνωκότα,
εὔχεις τις εἶναι, τοῖσι χρήμασι σθένων·
τὰ δ' οὐδὲν, εἰ μὴ βραχὺν ὁμιλῆσαι χρόνον.
ἡ γὰρ φύσις βέβαιος, οὐ τὰ χρήματα.
ὅστις δὲ πλοῦτον ἢ εὐγένειαν εἰςιδὼν κτλ.

scilicet tribus qui sequuntur versibus ejectis. Videntur autem hi tres versus esse interpretis, cum praesertim in priore versu 942 exilis efficiatur sententia, in posterioribus σμικρὸν ἀνθήσας χρόνον autem molesta fiat repetitio verborum antecedentium. Non multo post tamen illis versibus iterum atque iterum consideratis sententiam meam sic repudiavi, ut ad aliam et meliorem, opinor, rationem me converterem. Leguntur enim apud Stobaeum Floril. T. 72. p. 430, 4. ex Cressis Euripidis hi versus (v. Wagneri Fragm. Eurip. p. 467. fr. 5.)

Εὐριπίδου Κρήσσαις·
Γαμεῖτε νῦν, γαμεῖτε κᾆτα θνήσκετε
ἢ φαρμάκοισιν ἐκ γυναικὸς ἢ δόλοις.
ὅστις δὲ πλοῦτον ἢ εὐγένειαν εἰςιδὼν
γαμεῖ πονηρὰν, μῶρός ἐστι· μικρὰ γὰρ
μεγάλων ἀμείνω σώφρον' εἰ δόμοις ἔχει.

Hos ab Atreo recitari uxoris scelere comperto perspicuum est. Valckenarius (Diatr. p. 199[a]) de Cressarum fragmentis quaerere omisit, animadvertit tamen Cressarum dramatis fragmentum petitum esse ex Codice qui pleraque complecteretur Stobaei poetarum dicta, de ceterorum dictis pauca et infra p. 200[b] Ed. Gesn. p. 437, 20. Grot. p. 315 ad ista *Οὐ γὰρ ποτ' ἄνδρα* sq. ubi praecesserant Euripidis ex Andromacha versus, scriptum in Cod. Leid. *τοῦ αὐτοῦ Κρήσσαις*. Matthiae Eurip. fragm. p. 130, qui hos tres versus ex Cressarum fabula petitos esse negat, duos tantum versus exhibet *Γαμεῖτε νῦν — ἢ δόλοις*. Quae sequuntur, inquit, apud Stobaeum et inde apud Barnes. Musgrav. ea ex Eurip. Electra 1091 sq. petita iam Heathius monuit. Hunc secutus A. Kirchhoffius putat vv. 1097 — 99 Stobaeum laudasse Floril. T. 72, 4. III. p. 41. cum Cressarum fragmento confusos. Reliqui critici hanc quaestionem neglexerunt. Porro leguntur hi tres versus tanquam ex Cressarum fabula cum antecedentibus *γα-*

μεῖτε νῦν, γαμεῖτε κτλ. coniuncti apud Nauckium (Fragm. Graec. Tragg. p. 399. fr. 467), qui haec ascripsit: ὅστις δὲ πλοῦτον ἢ εὐγένειαν εἰςιδὼν sq. qui versus nunc leguntur in Eurip. Electra 1097—1099 loco parum apto. Manifesta tamen vestigia deprehendisse mihi videor, quibus motus tres novissimos versus ad Cressas arbitror esse revocandos. Atrei et Aeropes historiam hac in Cressarum fabula tractatam esse docent Schol. Arist. Vesp. v. 760 ἐν Κρήσσαις Εὐριπίδου ὁ Ἀτρεὺς πρὸς τὴν Ἀερόπην κρινεῖ ταῦτα et Schol. Soph. Aiac. v. 1297 Ἡ ἱστορία ἐν ταῖς Κρήσσαις Εὐριπίδου, ὅτι διαφθαρεῖσαν αὐτὴν (Ἀερόπην) λάθρα ὑπὸ θεράποντος ὁ πατὴρ Ναυπλίῳ παρέδωκεν ἐντειλάμενος ἀποποντῶσαι· ὁ δὲ οὐκ ἐποίησεν ἀλλ' ἐνεγγύησε Πλεισθένει. Nec Schol. Arist. Ran. v. 849 ad verba Aristophanis: Ἀπολλώνιος δὲ ὅτι δύναται καὶ ἐς τὴν Ἀερόπην τὴν ἐν ταῖς Κρήσσαις εἰρῆσθαι ἣν εἰςήγαγε πορνεύουσαν, patitur dubitare quin Aeropae cum Thyeste adulteria fuerint introducta. Argumentum huius fabulae primus illustravit Bentleius in Epist. ad Mill. p. 23. sq. Apparet Clytaemnestrae et Aeropes fortunam simillimam fuisse, quarum haec cum Thyeste, Atrei fratre, illa cum Aegistho, Thyestae filio consuerat. Aerope deprehensa ab Atreo, Clytaemnestra propter maritum occisum a liberis Oreste et Electra interficitur. Dein Aeropen cum Thyeste iunctam insidias parasse Atreo, quemadmodum Agamemnoni struxit Clytaemnestra, colligi posse videtur ex ultimis verbis fr. 5. κᾆτα θνήσκετε ἢ φαρμάκοισιν ἐκ γυναικὸς ἢ δόλοις. Huc accedit quod utraque fabula non solum eiusdem gentis Pelopidarum fata complectitur, verum etiam eadem in scena, hoc est Argis, agebatur. Histrionibus igitur in promptu fuit sententias ex una in alteram fabulam transferre. Iam ut tres illos versus ex Cressis in Electram influxisse contendam, vel propter hanc causam mihi persuadeo, quod in Electra nullum, in altera fabula suum locum obtinent. Neque vero concesserim ad illud fragmentum pertinere quicum coniuncti leguntur (Stobaeum enim satis constat poetarum fragmenta collecta saepenumero sine ullo nexu ad arbitrium suum composuisse, cf. O. Bernhardt Quaestiones Stobenses Bonnae 1861. Nov. Mus.

Rhenan. 3. p. 508), sed potius ad aliud quod apud eundem Stobaeum Floril. T. 72, p. 437. Gesn. 74, p. 316. Gaisford. legitur:

> *Οὐ γάρ ποτ' ἄνδρα τὸν σοφὸν γυναικὶ χρή*
> *δοῦναι χαλινοὺς οὐδ' ἀφέντ' ἐᾶν κρατεῖν·*
> *πιστὸν γὰρ οὐδὲν ἔστιν· εἰ δέ τις κυρεῖ*
> *γυναικὸς ἐσθλῆς, εὐτυχεῖ κακὸν λαβών.*

E Cressis haec petita esse affirmat Valckenarius (Diatriba p. 200 [b]) secutus lemma in Paris. A. et Voss. Leid. Cod. *τοῦ αὐτοῦ Κρήσσαις.* Atreus igitur ab uxore deceptus postquam Aeropen opprobriis vexavit, generatim in omnes mulieres invehitur. Non est viri prudentis, inquit, uxori frena concedere et imperii vim remittere. Varium ac mutabile mulier est. Si quis tamen feminam probam sortitus est, prosperum cepit infortunium. Quicunque autem — nam sic Atrei oratio recte progreditur — divitias aut nobilitatem generis spectans improbam ducit uxorem, stultus est. Praestat enim in domo pudica parva quam magna possidere.

Quae quum ita sint poetam in Cressarum fabula sic scripsisse contendo:

> *Οὐ γάρ ποτ' ἄνδρα τὸν σοφὸν γυναικὶ χρή*
> *δοῦναι χαλινοὺς οὐδ' ἀφέντ' ἐᾶν κρατεῖν·*
> *πιστὸν γὰρ οὐδὲν ἔστιν· εἰ δέ τις κυρεῖ*
> *γυναικὸς ἐσθλῆς εὐτυχεῖ κακὸν λαβών.*
> *ὅστις δὲ πλοῦτον ἢ εὐγένειαν εἰσιδὼν*
> *γαμεῖ πονηρὰν, μῶρός ἐστι· μικρὰ γὰρ*
> *μεγάλων ἀμείνω σώφροσιν δόμοις ἔχει.*

Restat ut pauca dicam de versibus 1100 et sequenti qui choro tribui solent ac de criticis solum offenderunt Nauckium. Duplici enim incommodo hi versus laborant: nam cum ad praecedentia, quod chori consuetudo fert, spectare nequeant, tum Clytaemnestrae et Electrae dialogum (vv. 997—1146) hoc solo loco interrumpunt. At chorus cum hanc scenam ab anapaestis (vv. 988—997) exorsus esset, colloquio demum inter matrem ac filiam consummato ad novum canticum progreditur. Itaque suspicor hos versus per fraudem praegressis adiectos

esse, qui postquam in Electram influxerunt, sententiam generalem histrio subornavit choroque concessit, quia neque Electrae neque Clytaemnestrae accommodari potuit.

Eiusdem interpolationis vestigia quam scenicis imputandam esse censeo, deprehenduntur in iis versibus qui in una eademque fabula repetiti leguntur. Istius autem repetitionis largissimam copiam praebet Euripidis Medea, ubi saepe primo aspectu haesitamus utrum ipsius poetae sint an ab aliena manu repetiti. cf. Bernhardy Griech. Liter. II[b] p. 408; A. Witschel De versibus in Euripidis Medea repetitis Ac. Soc. Gr. II. p. 143 sq.; Firnhaber Die Verdächtigungen Euripid. Verse sq. p. 378. Cum enim in scholiis varietates et transpositiones versuum saepenumero proferantur, quas a scenicis originem ducere iam veteres cognoverant, haud scio an versus variis in locis repetiti ad eandem originem referri possint. Sic in Medea v. 468 *θεοῖς τε κἀμοὶ παντί τ᾽ ἀνθρώπων γένει* in simili loco v. 1324; vv. 922. 23 *στρέψασα λευκὴν ἔμπαλιν παρηίδα Κοὐκ ἀσμένη τὸνδ᾽ ἐξ ἐμοῦ δέχει λόγον* infra 1006. 7; vv. 1062. 63 *πάντως σφ᾽ ἀνάγκη κατθανεῖν· ἐπεὶ δὲ χρή, Ἡμεῖς κτενοῦμεν οἵπερ ἐξεφύσαμεν* infra 1249. 41. alii id genus iterantur, quos omnes Klotzius Firnhaberum secutus tuendos esse arbitratur. At vero non temere critici fecerunt, qui huiusmodi versus suspectos haberent, praesertim cum tragicos videamus repetitionem verborum, ne dicam versuum reformidasse. Subsistamus tamen in Electra ubi vulgo leguntur versus 352—353. Ibi postquam Orestes et Electra secum collocuti sunt, nova et inexspectata scena sequitur, colonum loquentem introducens:

> *ΗΛ. ἐν ἐλπίσιν ταῦτ᾽· ἀσθενὴς φεύγων ἀνήρ.*
> *ΑΥ. ἦλθον δ᾽ Ὀρέστου τίν᾽ ἀγορεύοντες λόγον;*

Qui hanc scenam perlegerit, facile concedet utramque scenam ita inter se similem esse, ut inferior alterius inter Orestem et Electram colloquii tanquam effigiem ostendat. Electra enim a Colono ut par est interrogata num frater ipsius ac patris malorum meminerit (v. 351), respondet v. 352 *ἐν ἐλπίσιν ταῦτ᾽·* sq., tum denuo ille quaerit, quem nuntium de

fratre soror acceperit. Hi duo versus sine ulla dubitatione ex superiore scena cuius iam mentionem feci, huc translati sunt, ubi versus 236 et sq. sic leguntur:

ΟΡ. ἔχει μέν, ἀσθενὴς δὲ δὴ φεύγων ἀνήρ.
ΗΛ. λόγον δὲ δή τίν' ἦλθες ἐκ κείνου φέρων;

Qui cum supra sint aptissimi neque sine detrimento tolli possint, hoc in loco plane displicent. Prioris autem versus 352 altera pars ἀσθενὴς φεύγων ἀνήρ particulis δὲ δὴ exceptis in versu 236 praecessit, itemque posterior leviter mutatus recurrit; nisi quod hoc loco positum est ἀγορεύοντες, illo φέρων. At hoc ipsum verbum ἀγορεύοντες interpolationis vestigia prae se fert, cum illic fortasse interpres aliquis ad φέρων ascripserit ἀγορεύων id quod hic nimirum mutari debebat in ἀγορεύοντες. Maioris autem est momenti, quod ipsa sententia non satisfacit. Primum enim non debebat Electra colono interroganti v. 350 num Orestes ipsius malorum meminisset, respondere, ἐν ἐλπίσιν ταῦτ', tanquam de fratre nihil comperisset. Atqui sermone cum Oreste habito (vv. 228—238) haud ignorabat, fratrem sui desiderio incitatum esse, deinde v. 354 ipsa cum dicat σκοποὺς ἔπεμψε τῶν ἐμῶν κακῶν, Orestes qui nuntios ad Electrae condicionem noscendam misit, sine dubio sororis memor fuit. Adde quod in v. 352 cum apta verborum iunctura tum particula copulativa desideratur, qua omissa durior fit oratio, neque alia esse videtur ratio inter vv. 353 et 354, cum optime cohaereant superiores 237—238. Versus autem non modo sine ulla iactura removentur, sed deletis paulo melius oratio etiam progreditur.

Neque solum versus integros repetunt actores scenici, sed mira dexteritate haud pauca mutant magnaque libertate in transponendis sententiis versantur, ut scite observavit Hartungus De interpol. Iph. in Aulide p. 31. Idem monet in Electrae vv. 921—924 tautologiam vel repetitionem esse versuum qui praecedunt 918—920 eodemque modo versus 936—937 versuum 931—935. Et profecto in priore loco eadem sententia redit, ‚Qui mulierem quam malam esse haud igno-

rat, duxit, si duxerit, bonam esse ratus eum miserum neque sapientem esse,' tantamque repetitionem verborum vel sententiarum haud scio an poeta reformidaverit. Neque aliter se habent versus 936—937 plane ex praegressis orti, sic ut sensum ‚Turpe esse uxorem regnare, maritum nullo numero esse' bis expressum reddant. Quare Hartungus utrobique 921—924 et 936—937 qui tautologiam efficiunt, iure expungere non dubitavit.

Pervenimus ad tertium huius interpolationis genus, cuius inprimis scenicos auctores fuisse constat. Quoniam enim perpetua fere exercitatione illi miram facultatem memoriae assecuti essent, factum est ut quasi sequestres tragicae poesis postremo fabulas ipsas tentare conarentur. Iidem cum poemata magnumque numerum sententiarum cum uberrima vocabulorum copia tenerent, consuerant locos propositos variare et mutare. Sic in hoc dramate quod tractandum suscepi plurima sunt interpolationis exempla, quae scenicorum ingenium prodant. Velut leguntur versus 1175—1176:

Οὐκ ἔστιν οὐδεὶς οἶκος ἀθλιώτερος
τῶν Ταντὰλείων οὐδ' ἔφυ ποτ' ἐγκόνων,

quos suam certe sedem non occupare persuasum habeo. cf. vv. 50—53; Troad. vv. 1203—1206. Post Clytaemnestrae enim caedem chorus virginum exclamans 1169 *νέμει τοι δίκαν θεὸς ὅταν τύχῃ· Σχέτλια μὲν ἔπαθες κτλ.* cf. vv. 957. 58. salutat ut consentaneum erat cf. 1233. Orestem et Electram, qui matris sanguine polluti ex aedibus egrediuntur. His chori verbis ubi nihil ultra exspectamus, succedunt illi versus *Οὐκ ἔστιν οὐδεὶς* sq. qui nullo pacto hic ferri possunt, cum reliquis parum conveniant et illepide claudicet frigida horum sententia. Profecto quid antiquis temporibus tam tritum atque celebratum fuit quam saeva Pelopis domus? De miseriis et facinoribus Tantaleae domus inter alios Aeschylum in Agamemnone, Euripidem in Oreste, Senecam in Thyestis principio narrasse notum est. Itaque facile fabula huius argumenti sententiam illam suppeditavit, nec dubito quin versus ex Euripidis Orestis principio *Οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ'*

εἰπεῖν ἔπος Οὐδὲ πάθος κτλ. originem ducant. Neque vero suspicor hos versus interpretationi verborum ἀθλίων προσφθεγγμάτων deberi, sed potius ab histrione profectos esse videri. Id quod saepius in antiquitate usu venisse non fugit Hartungum ll. p. 32 haec monentem: In clausulis frequentissime addi sententiam ut sit epiphonematis modo non tam probatio quam extrema quasi insultatio quis est qui ignoret? Eandem tamen interpolandi quoque copiam faciebant largissimam: nam cum mediis orationibus diverbiisque ne insererentur spuria, saepe verborum rerumque nexus prohiberet, in fine adsuere quidvis licebat.

Hinc ad alterum locum in eadem scena pergimus, ubi prioris generis interpolationem repperisse mihi videbar. Aegisthi caede ab Oreste et Electra perpetrata Clytaemnestra filiae missu prodit splendido ornatu et curru vecta ut ex v. 998 sq. intellegitur. Electra dum matrem superbam colit, a Clytaemnestra repudiata queritur v. 1008 matris odio servam sese factam domoque paterna privatam esse. Tum Clytaemnestra longiore oratione (vv. 1010—1050) crimina quae Electra tecte significavit, diluere studet defenditque mariti caedem, quippe qui filiam suam mactasset in Aulide et Cassandram peregrinam adduxisset. Huius igitur in orationis principio quinque versus leguntur sic 1013—1017:

Λέξω δέ· καίτοι δόξ᾽ ὅταν λάβῃ κακὴ
γυναῖκα γλώσσῃ πικρότης ἔνεστί τις·
ὡς μὲν παρ᾽ ἡμῖν, οὐ καλῶς· κτλ.

Ac primum Porsonus quidem non iniuria haesit in versu 1014 γυναῖκα γλώσσῃ πικρότης ἔνεστί τις: hunc enim unum Euripidis senarium observat esse, in quo consonantes γλ positionem non efficiant. Dawesius enim temere negaverat syllabam a poeta scenico corripi posse in qua concurrat media littera cum liquida. Hanc observationem plerumque veram esse, nonnumquam tamen a scenicis poetis praeter Euripidem violari recte monet Porsonus. Itaque merito ad Hecubae v. 298 Electrae locum corruptum vel suspectum habuit. (Eur. Phoen. v. 428) Defendit eum Erfurdtius ad Soph. Aiac. 1066

citans Aeschyli fragm. apud Phot. v. *ὀκτώπουν: κέντημα γλώσσης, σκορπίου βέλος λέγω* et Soph. Trach. 615 *σφραγῖδι θέμενος τῇδ᾽ ἐπ᾽ ὄμμα γνώσεται.* Sed recte Porsonus docet hanc regulam ab Aeschylo et Sophocle nonnumquam violari, Trachiniarum autem versum ubi vulgo legebatur *σφραγῖδος ἕρκει τῷδ᾽ ἐπὸν μαθήσεται*, Brunckius perperam refinxit. Itaque Elmsleius ad Med. 288 ut grammatices leges tueretur, verbis transpositis suasit *γλώσσῃ γυναικὸς* (vel *γυναικῶν*). Neque hac coniectura locus sanatur. Primum enim verba *καίτοι δόξ᾽ ὅταν λάβῃ κακή* plane non habent quo referantur, neque caute *γυναῖκα* ex *γυναικός* supplendum existimat Hartungus, dein Matthiae sensit huius sententiae perversitatem: ‚In mulieris quae mala fama laborat, oratione inest acerbitas.' Sed verissime Matthiae talem requirebat sensum: ‚Ubi malam famam mulier nacta est, in oratione aliorum qua illam mulierem carpunt, inest acerbi quid seu invisi quid.' Sic *πικρότης* de sermone amaro dictum in hoc uno Euripidis loco extat. Hunc autem sensum confirmant quae sequuntur *ὡς μὲν παρ᾽ ἡμῖν* sq. ubi verba *μισεῖν* et *στυγεῖν* ad praegressa spectant *γλώσσῃ πικρότης ἔνεστί τις.* Dicit igitur Clytaemnestra: ‚Crimina ista quae tu a me facta esse contendis, commisit id quod te fugisse videtur, ipse tuus pater. Sed cum mulierem mala fama persequatur, fieri solet ut *alii acerbo sermone utantur* neque sine studio iudicent de nostris consiliis. Itaque tu iudicabis, postquam ipsam rem cognoveris.' Hactenus omnia perspicua sunt. Sed si quis accurate cohaerentiam verborum rimetur, verba *λέξω δέ· καίτοι δόξ᾽ ὅταν* sq. parum convenire videntur. Nam Clytaemnestra debuit filiam refutare; hoc autem consilium quo pacto licebit verbis accommodare *λέξω δέ· καίτοι* sq.? Nimirum exspectamus: ‚Dicam autem (sc. ut Electrae crimina evincam) *quia* mulier quam iniquum iudicium oppresserit, parum ex aequo iudicatur. Itaque rem ipsam tibi proponam.' Quare haud scio an hi quoque versus ex alia fabula repetiti sint, iisque materiam praebuerint Medeae versus 214—224, ubi Medea fere iisdem causis Chori suspicionem tollere studet dicens ‚se ex aedibus prodisse, ne in reprehensionem incideret, quemadmodum homines sive remoti a foro sive coram populo

ac multitudine vixerint, facile reprehensionem plebis subierint. Non enim *iudicare* plebem, sed *ira ac studio duci*, non cognitis aliorum moribus.' (δίκη γὰρ οὐκ ἔνεστ' ἐν ὀφθαλμοῖς βροτῶν) Neque miramur Medeae dicta quamvis aliter formata ab histrione quodam in Clytaemnestrae orationem inserta fuisse cum ad imitandos versus vel interpolandos proni fuerint scenici propter personarum scenaeque similitudines. Hunc autem fraudis auctorem non dedecet vitium istud supra commemoratum in versu 1014 γυναῖκα γλώσσης positionis neglectae. Quodsi recte coniectavi, facile carebimus Dawesii scriptura (Miscell. Crit. p. 837) ἡμᾶς δ' ἔδωκε, nam vulgata lectio ἡμᾶς δέδωκε praegressis bene congruit. Quattuor igitur locos adulterinos vv. 293—295; 1013—1017; 1162—1163; 1298—1299 ex celeberrimis Euripidis fabulis Antiopa Medea Oreste Phoenissis originem ducere suspicamur, in eosque cadit observatio Hartugi p. 29: Omnium facillime sententiae generales transferebantur, quare cum sententiosus sit natura Euripides, sententiosior redditus est ab interpolatoribus.

Progredimur ad illud genus interpolationum admodum frequens, quod *hominibus doctis* vel *grammaticis* tribui potest.

In prologo, de quo supra pauca praefati sumus, colonus postquam Agamemnonis reditum in patriam eiusque caedem spectatoribus, ut poeta solet, narravit, ad Orestem et Electram progressus nuntiat quomodo ille neci surreptus sit, hanc domi relictam in matrimonium acceperit. Hominis in simplici narratione legitur sine ulla offensione versus 15:

ἄρσενά τ' Ὀρέστην θῆλυ τ' Ἠλέκτρας θάλος.

Neque vero ferri potest, cum in sequentibus recurrant Orestis et Electrae nomina, particulis etiam μὲν — δέ adiectis, quae res orationem facit molestam et loquacem. Igitur manifestum est alterutrum versum hoc loco ab Euripide non profectum esse; nec dubitari potest quae pars supervacua sit. Porro Matthiae et Hartungus versum 651:

λέγ' ὦ γεραιὲ τάδε Κλυταιμνήστρᾳ μολών

insiticium esse pronunciant propter similes imperativos λέγε et ἀπάγγελλε. Satis autem erat ἀπάγγελε, nam matri nun-

cium afferri praecedens versus docet. Itaque versus interpolatus inde fictus est, quod aliquis ad ἀπάγγελλε ascripserat Κλυταιμνήστρᾳ. Huc accedit quod non supervacaneum fuit monere, per versum spurium leges στιχομυθίας violari, quas in versibus 612—670 poeta constanter servavit. cf. Electr. 220—290; Hippol. 315—352; Suppl. 104—160; Helen. 1195—1277; Phoeniss. 389—426; Ion. 934—1029; Bacch. 463—508. Neque verisimile duco, quod Heilandius coniecit, post 651 versum excidisse.

Parem interpolationem suspicamur in Phoenissarum versu 11 irrepsisse,

Κρέων τ᾽ ἀδελφὸς μητρὸς ἐκ μιᾶς ἔφυ,

quem Scholiasta non agnoscit. In Mss. legitur μητρὸς (vel ματρὸς) ἐκ μιᾶς ἔφυ; Codd. Harl. et Flor. 33 exhibent ἐκ μιᾶς γαστρός, quod quamquam ad Iliad. ρ. 24, 496 ἰῆς ἐκ νηδύος accedit, plerique tamen interpretes praetermiserunt. Fortasse hic error, inquit Hermannus, est librarii, ex ματρός ortus, quod aliquot in Codd. legitur. Vulgatam autem quamcunque in partem versamus, rectum sensum non praebet. Narrat enim Iocasta sese ortam esse patre Menoeceo vocarique Iocastam v. 10 ἐγὼ δὲ παῖς μὲν κλῄζομαι sq.; interposita autem Κρέων τ᾽ ἀδελφός ita se habent ut Creon Menoecei filius fuisse non videatur. Geelius igitur ut hunc naevum expungeret, correctorem aliquem vel histrionem corrupisse postremum vocabulum ratus (cf. v. 198) coniecit pro ἔφυ, ἐμοί vel γεγώς, commate post Κρέων τ᾽ ἀδελφός posito ita ut cum praegressis haec verba arctissime coniungantur, quam scripturam recepit Hartungus. Nec tamen coniecturis versui succurritur, sed oratio versu demum sublato recte procedit. Etenim cum Iocasta Menoecei filia, Creon Menoecei filius appelletur, sponte sequitur ut Creon frater habeatur Iocastae. Nec debuit comparari Soph. Antig. v. 513 qui locus simili attributo non praegresso neque superflui neque absurdi quidquam prae se fert. Accedit etiam id quod infra v. 47 Creon identidem ab Iocasta nominatur ἀδελφός, quod sane poeta non fecisset, si iam antea id commemorasset. Neque supra ubi Iocasta de

se ipsa tantum et Laio loquitur, causa fuit cur Creontem fratrem appellaret. Itaque suspicor hunc versum inde confictum esse, quod aliquis ad *Κρέων ἀδελφός*, quae librarii errore ex v. 47 huc influxerant, ascripserat *μητρὸς ἐκ μιᾶς ἔφυ*.

Sed redeamus unde digressi sumus. In Electra ubi Aegisthi caedem per insidias ab Oreste perpetratam nuntius ad Electram defert, leguntur v. 771 haec:

ὦ θεοί, Δίκη τε πάνθ' ὁρῶσ', ἦλθές ποτε,

quae vulgo Choro tribuuntur. Quod ibidem invenitur *ταῦθ'* pro *πάνθ'* correxit Portus *πάνθ'* probantibus criticis. Mihi cum Seidlero qui *ταῦτα* intellexit *ὅτι τέθνηκε* mutatione non opus videtur; neque tamen valet haec res ad nostrum propositum. Hunc igitur versum plurimi inter pretes silentio praetermiserunt, neque de eius fide dubitarunt. Monendum tamen est hunc versum non choro sed Electrae tribui a Kirchhoffio, qui in hac fabula multa mutavit et transposuit. Sensit enim vir doctus non esse talem sententiam, quae Chori personae conveniret. Sed contra Kirchhoffii sententiam summo iure animadverti potest, tales exclamationes ut permultae in tragoediis inveniuntur, vel ad chorum aptissimas esse neque est cur hoc loco siquidem vere factum est, haec ratio ab Euripide neglecta sit. Deinde non moris esse tragicorum videtur si hoc loco Electra ubi summis affectibus ut par est, iterum ex nuntio quaerit, num Aegisthus mortuus sit v. 769 *τί φῄς; τέθνηκε πατρὸς ἐμοῦ στυγνὸς φονεύς;* duo fere inter se contrarias sententias uno tenore exclamaverit v. 771 *ὦ θεοί, Δίκη τε πάνθ' ὁρῶσ', ἦλθές ποτε;* et v. 772 *ποίῳ τρόπῳ δὲ καὶ τίνι ῥυθμῷ φόνον* sq. Itaque quamvis haec versuum transpositio improbanda sit, tamen id quidem ad nostram quaestionem haud parvi momenti sit, quod Kirchhoffius quum hunc versum Electrae tribuit, eo loco ubi extabat, eum incommodum esse intellexit. Nunc iam ad singula transeamus quibus hunc versum insiticium habere cogimur. Primum enim haud dubie miramur Euripidem verborum hunc ordinem instruxisse: *ὦ θεοί, Δίκη τε πάνθ'* sq. quum potius exspectemus *ὦ Δίκη καὶ ἄλλοι θεοί* aut similia ut Hom. Il. ρ. 3,

298 *Ζεῦ κύδιςτε, μέγιστε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι* cf. Arist. Plut. vv. 1. 81; Eur. *ἀδηλ. δραμ.* fr. 97. Hoc enim loco poetam maxime *Δίκην* Deam, non reliquos Deos praeponere debuisse quis non videt? Deinde non assequor quicum membro coniungendum sit *ὦ θεοί* nisi forte contendis cum *ἤλθες* idquod sane absurdum esset, si Chorus diceret: O Dii et omnis spectans Iustitia, tandem *venistis!* Neque vero *ὦ θεοί* pro Homerico *ὦ πόποι* exclamationis loco accipiendum est propter sequentem particulam *τε*. Itaque ut hunc versum melius instaurarent homines docti pro *ὦ θεοί* scripserunt *ὦ Ζεῦ* ut Med. v. 764 qua coniectura prorsus non proficimur, quoniam saepissime apud Euripidem extat *ὦ θεοί* ut Iph. T. v. 781; Hippol. v. 1169 alia id genus. Quare hoc loco nihil novandum est praesertim quum persuasum habeam si poeta scripsisset *ὦ Ζεῦ*, hanc lectionem neque correctorem neque histrionem mutaturum fuisse. Praeterea autem apparet chorum iam post 764 multo melius locuturum fuisse quum ille modo v. 760 loqui desiisset et nuntius consulto, quasi ut ad chorum spectaret, suis verbis hoc adiecisset: *ἀλλὰ θεοῖσιν εὔχεσθαι χρεών*. Neque scio an ex verbis Electrae *τίς δ' εἶ σύ;* maximeque ex particula *δέ* hoc eliciendum sit. Atque etiam hoc versu interposito efficitur ut Electrae verba *ποίῳ τρόπῳ* sq. nimis remota sint ab iis ad quae referri debeant. Nonne potius putamus orationem magis concinnam poetam instituisse si Electram post nuntii responsum statim ex eo denuo quaerentem fecisset quomodo et quo ordine caedis Orestes Aegisthum occiderit? Itaque si versus supra suo loco non collocatur, dum melius quid alii inveniunt suspicor huc eum ab aliena manu perperam influxisse.

Huic capiti priusquam finem imponam, unum commemorare mihi liceat. Plura exempla huiusmodi interpolationis afferre possum in quibus grammaticorum vestigia deprehenduntur, sed per loci angustias de iis quae supersunt dicetur commodiore loco.

Pervenimus iam ad tertium interpolationis genus, quod *criticis*, *metricis interpretibusque* tribuendum esse existimo,

quorum vestigia ut in omnibus Euripidis fabulis, sic etiam in Electra saepe relicta esse satis credibile est.

Postquam in exordio huius fabulae colonus prologum egit, Electra squalidis comis, sordidis vestibus induta, (v. 184) vas aquarium in capite ferens in scenam prodit et loquitur inde a v. 54—63. (Soph. El. 86—120.) Hoc in loco criticos maxime neque immerito offendit v. 59 vulgata *ἀφίην* quam reliqui libri et Ed. Victor. exhibent. Itaque multi cum Aemilio Porto quem sequitur Seidlerus et Matthiae scripserunt *ἀφείην* quod sane facile ex *ἀφίην* corrumpi potuit. Sed nimis argute Matthiae hanc lectionem defendit, non quia haec copulatio coniunctivi *δείξωμεν* et optativi *ἀφείην* offensioni esset, sed quod optandi significatio in hoc loco omnino non inesset. Recte igitur etiam Hartungus animadvertit, nihil esse quod Electram impediret quominus vasi in capite non imposito querelas funderet. Eodem sensus difficultate Heathii coniectura *ἀφίω γ'* laborat, quare Reisigius (Commentt. crit. in Soph. O. C. p. 169) praeter necessitatem et paulo audacius scripsit *γόους ἀφέντες* et Schaeferus *ἀφῶμεν* cuius lectio nimis tamen a libris recedit. ¡Restatigitur Reiskii coniectura quae unice vera videtur neque multum a vulgata recedit *ἀφίημ'* qua non solum sensus simplicitas recuperatur, verum etiam arctissima coniunctio verborum *μετέρχομαι* et *ἀφίημι* quae maxime necessaria est, restituitur. Itaque omnia recte se haberent nisi duo versus 57—58 qui turbant evertuntque orationem, interpositi essent:

οὐ δή τι χρείας εἰς τοσόνδ' ἀφιγμένη
ἀλλ' ὡς ὕβριν δείξωμεν Αἰγίσθου θεοῖς.

Ac primum quidem v. 57 non solum inutilem esse et ineptum, verum etiam cum praegressis verbis reliquisque sententiis Electrae et Coloni, denique totius fabulae ratione pugnare, paucis ostendam. Si colonus Electram v. 64 sq. alloquitur, nihil aliud facit quam repetit quasi quod v. 37 *λαμπροὶ γὰρ εἰς γένος γε* dixerat neque tamen negat, Electram ad tantam inopiam redactam esse quantam ipsa v. 57 negat. Ex tota porro Electrae responsione ex qua duo tantum versus

69 et 73 expromo, satis intellegitur hunc versum supra ineptum esse. Maxime autem versui 57 contrarii videntur vv. 304 — 309 et qui plurimum valet v. 309 *αὐτὴ δὲ πηγὰς ποταμίους φορουμένη* (v. 56.) Namque inprimis servarum seu ancillarum apud veteres fuisse munus aquam ex fonte hauriendi iam ex Hom. Il. *ρ. Ζ* 456 — 457 qui quidem loci haud parum inter se similitudinis habent, perspicimus. Itaque etiam Euripides Electram urceo capiti imposito in scena loquentem facit quippe quae servilem vitae condicionem graviter ferat neque ut ex vv. 1004 — 1011 sequitur, meliore sorte quam istae captivae utatur. Neque etiam Electrae personam eiusque condicionem sic intellegi debere ignorat Westrik in Disput. liter. de Aesch. Choeph. de Electra tum Soph. tum Eurip. L. B. 1828. p. 185. Deinde non solum illam scenam v. 54 sq. poeta sic instituit, ut Electrae inopiam sub oculis ponat moveatque quo excelluit misericordiam, (A. Nauck Prolegg. p. 37) verum etiam sexcenta huius fabulae exempla quorum pauca iam attulimus, idem ostendunt. (Eur. El. vv. 38. 49. 120 — 21. 131 — 34. 658. 1131.) Inprimisque in hac re observandum existimo Orestis orationem vv. 82 — 111 ex qua extremos tantum versus 107 — 110 affero (Eur. El. 184 — 85. 239 — 40. 335. 1107.) qui quidem aperte testantur, Orestem quum conspexisset Electram, eam ministram vel servam habuisse, (El. 104 *οἰκέτις γυνή;* 106 *προςπόλων τινα;* 110 *δούλης γυναικός.*) deinde Euripidem prae ingenio suo ac moribus Electrae miseriam ante spectatorum oculos ponere voluisse. Satis enim constat, Euripidem personas quas agentes proponat non tam excelsos finxisse et animi virtute vel constantia insignes, quam vulgares et tanquam e domestica vita in scenam traductas. (Arist. Poetik c. 25. p. 1460 B. 33: *Σοφοκλῆς ἔφη αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδην δὲ οἷοι εἰσίν.*) Atque etiam illud sic adamasse videtur poeta ut a comicis inprimisque ab Aristophane saepe vituperaretur ut *πτωχοποιός* quod reges et heroas pannis indutos vel claudos proposuerit. (Arist. Acharn. 412 sq. Nubb. 1371. Pac. 147. Thesm. 547. Ran. 1043. 1063. 1079; Schlegel Dramat. Vorlesgg. T I. p. 210. 232 sq; Bernhardy Griech. Lit. II b p. 391.)

Quae ingenii vestigia in hac fabula prae se ferre poetam Electramque egenam re factisque ostendere haud scio an quemquam fugerit neque aliter de hac re iudicavit Westrik l. l. p. 143. Ut paucis dicam, Euripides tota hac fabula nihil aliud effici voluit quam ut monstraret, virtutem animi vere non inveniri in regum palatiis, sed in casis pauperum humiliumque hominum; (Eur. El. 368—400) eamque rationem totius fabulae natura requiri fere omnes interpretes cognoverunt. (Prevost. et Hartung Eur. restit. II. p. 316.) His omnibus argumentis sub unum quasi aspectum collatis satis demonstrasse mihi videor versum 57 incommodum esse. Iisdemque fere causis absurda videtur v. sq. sententia quia illepidum vel ridiculum est, Electram ut insolentiam Aegisthi Diis ostendat, vasi capiti imposito aquatum exire. Quid quod hac ipsa in re duo versus 57 et 58 maxime secum pugnant? Quid enim aliud putamus Electram intellegere ὕβριν Αἰγίσθου (cf. vv. 266—67) nisi insolentiam vel contumeliam Aegisthi erga se ipsam? Itaque quum videamus, cum ex criticis tum aestheticis ut dicam causis istos versus nisi orationis perturbatione ferri non posse, non dubito quin duo hi versus ab interprete qui domestica maximeque servilia opera Electram, regis filiam dedecere putabat, interpretationis causa versui 56 adiecti in textum irrepserint. His enim versibus sublatis rectissime oratio Electrae sic procedit:

Φέρουσα πηγὰς ποταμίους μετέρχομαι
γόους τ' ἀφίημ' αἰθέρ' εἰς μέγαν πατρί sq.

Transeo nunc ad alterum locum qui quidem ex parte ad hoc interpolationis genus pertinet. Postquam chorus v. 314 desiit Electrae miseriam deplorare, Orestes cum Pylade superveniens sororem primo obtuto perterritam alloquitur. Tum Orestis nuntio confirmata ipsa multa de fratris sorte ex eo quaerit, nuntius contra de Electrae vitae condicione. Hac igitur in scena extant duo versus 251—252:

ΗΛ. ἐν τοῖς δ' ἐκείνου τηλορὸς ναίω δόμοις
ΟΡ. σκαφεύς τις ἢ βουφορβὸς ἄξιος δόμων;

qui criticorum ope hucusque parum purgati sunt. Vulgatam v. 251 quam Ed. Victor. omnesque Codd. exhibent nisi pro

ἐν τοῖσδ' Ed. princ. praebet ἐν τοῖς δέ, varia interpretatione homines docti defenderunt nec tamen sensum huius versus qui perturbatur vulgata ναίω, satis intellexisse videntur. Quin etiam Musgravius cui Matthiae assentitur, iungendum esse putat ἐκείνου τηλορός ut sit: ‚In his aedibus habito, procul ab ipso i. e. Oreste. Sed haud scio an quicquam hic dici potuerit absurdius praesertim quum Orestes probe sciret quam longinqua esset Electra ab ipso, deinde ommino hoc loco ubi Orestes prorsus aliam rem experturus erat, hoc additamentum inane esset. Contra igitur eos qui vulgatam ναίω defenderunt, suo iure Hartungus animadvertit, Electram de marito suo interrogatam (v. 248) non respondere potuisse ἐν τοῖσδ' ἐκείνου τηλορὸς ναίω δόμοις, verum potius ναίει h. e. maritus meus. Multum porro disceptatur inter homines doctos de forma τηλορός quae hoc solo loco legitur. Quamquam ut Musgravius animadvertit, haud raro in voce composita vocalis quae in vocibus elementaribus erat, supprimitur vel eliditur unde ex ὁμοῦ et ὅρος factum est ὅμορος, tamen Piersonus (Verisim. p. 239) negat analogiam recte se habere quippe a τῆλε et ὅρος formari non τηλορός, sed τηλουρός. (H. Steph. in Thes. ling. Gr.) Hinc igitur Piersonus (Verisim. p. 258) coniecit τῆδ' ὅρους quod Musgravius infirmo argumento ‚hoc pro solita Euripidis perspicuitate minime clarum esse' impugnat. Seidlerus facilius vocem τηλορός distraxit in duas τῆλ' ὅρος ad τῆλε supplens ἄστεως cui quidem coniecturae non repugnare videtur id quod Hartungus dicit, Electram non in monte sed in campo habitasse, quippe qui non meminerit v. 210 ubi Electra ipsa canit:

αὐτὰ δ' ἐν χερνῆσι δόμοις
ναίω ψυχὰν τακομένα
δωμάτων τῶν πατρίων φυγάς,
οὐρείας ἀν' ἐρίπνας.

(El. vv. 489. 490.) Nec tamen assequor quomodo Seidlerus coniungat verba ἐν τοῖσδ' ὅρος ναίω δόμοις ubi sane pendere nequeunt duo substantiva ex verbo ναίειν. Itaque huius versus ne dicam totius loci sententiam bene expedivit

Hartungus ἐν τοῖςδε ναίει τοῖσι τηλουροῖς δόμοις qua demum coniectura si omnino hic versus ferri potest, apte et commode Electra respondet. Sed supersunt alia quibus duo versus, praecipue v. 252 perturbantur. Primum enim supervacuum erat, Electram Oresti domum suam indicare quam ille v. 246 ex αὐτοψίᾳ ut dicam haud ignorare satis ostenderat. Deinde quum Electra v. sq. respondisset sese viro nupsisse, Orestes eo ipso mariti domum cognoscere debebat, siquidem ut vulgo marito et uxori una domus est. Adde quod quocunque hunc versum versaveris, semper ille claudicat quum neque cohaereat cum praegressis neque Electra Oresti interroganti v. 248 Μυκηναίων τίνι; apte v. 251 respondeat, id quod tum efficitur si Electra fratri simpliciter respondet v. 253 πένης ἀνὴρ γενναῖος εἴς τ᾽ ἔμ᾽ εὐσεβής. Eodemque in versu denique offensioni est verborum structura sivi scribimus τηλορός sive τοῖςδε τηλουροῖς δόμοις quia adiectivum τηλορός substantivo aliquo destitutum est. Pariter huiusmodi additamentum repetimus si Hartungi coniecturam sequimur ubi τηλορός insuper cum pronomine demonstrativo ὅδε coniunctum est. Postremo nomina τηλορός — sic enim omnes Codd. exhibent — et σκαφεύς hoc solo loco leguntur de quo posteriore H. Steph. haec tradit: Σκαφεύς h. e. σκαπανεύς s. σκαπτήρ memorat Pollux I. p. 132 Eur. El; Phryn. in B. A. 62. Item et σκαφεύς pro σκαφηφόρος s. μέτοικος usurpatum fuit teste Harpocr: ἐκάλουν δὲ οἱ κωμικοὶ σκαφέας τοὺς μετοίκους ἐπεὶ ἐν ταῖς πομπαῖς τὰς σκάφας ἐκόμιζον οὗτοι. Quae quum ita sint suspicor, v. 250 interpretamentum esse v. 246 verborum ἐνθάδ᾽ ἄστεως ἑκάς ubi τηλορός a sciolo adiectum est (Eur. El. 1014 γυναῖκα γλώσσῃς) et v. 252 interpretamentum verborum v. 253 πένης ἀνὴρ γενναῖος quod vel supra vel in margine ascriptum, a metricis ἄξιος δόμων adsutis versus numeris aptatum esse manifestum est.

Addo nunc alium locum simili interpolatione depravatum ubi Electra Orestis et chori desiderio obsequuta primum miseriam suam, deinde Clytaemnestrae et Aegisthi insolentiam narrat. Hoc loco leguntur tres versus 310—313 quos Seidlerus e difficilioribus vocat quique a criticis aliis alio modo et

intelleguntur et restituuntur. Codd. (Flor. 2.) enim exhibent
                    ναῖκας
ἀναίνομαι δὲ γυμνὰς οὖσα παρθένος unde quum γυναῖκας correctoris recepisset Ed. Vict., δέ eiectum est a Barnesio. Criticorum primus hunc locum partim ex Scaligeri partim ex suis emendationibus Heathius ita refingit:

Ἀναίνομαι δὲ γυναῖκας οὖσα παρθένος
ἀναίνομαι τε Κάστορ' ὦ πρὶν ἐς θεοὺς
ἐλθεῖν, ἔμ' ἐμνήστευον, οὖσαν ἐγγενῆ.

qui quidem pro vulgata γυμνάς recepit quod correctori debetur γυναῖκας, deinde pro altero δέ particulam copulativam τε, postremo pro dativo ᾧ scripsit ὦ quia μνηστεύειν non desponsare significaret, sed nuptias alicuius ambire. Recte autem Barnesius nec infirmis argumentis vituperavit, Scaligerum pro ᾧ substituere voluisse ὦ quasi hic Κάστορ' esset Dualis numeri et poneretur Κάστορε pro Διοσκούρω neque equidem contenderim poetas scenicos in Nominibus propriis tanta libertate usos esse. Recentiorum autem criticorum vulgatam γυμνάς receperunt Kirchhoffius qui praeterea pro παρθένος reposuit παρθένους et temere versuum 310. 11. ordinem, ut ait, in Codice turbatum invertit. (Eur. El. 671 sq.) Pro γυμνάς alii homines docti legunt γυνάς qua quidem forma Pherecrates poeta utitur pro γυναῖκας. Tradit enim H. Steph. haec: Bekker An. p. 86, 11 Γυναὶ ἀντὶ τοῦ γυναῖκες. Φιλιππίδης Ἀδωνιαζούσαις. Φερεκράτης Κραπατάλοις τὴν γυνήν. Etym. m. paulo ante: εὕρηται παρὰ Φερεκράτει ἡ αἰτιατικὴ τὴν γυνὴν οἷον, ‚ὡς ἄτοπόν ἐστι καὶ μητέρ' εἶναι καὶ γυνήν' καὶ αἰτιατικὴ τῶν πληθυντικῶν ‚ἀλλ' ὁρῶ τὰς γυνάς'. Nimis denique a libris recedens conatus est Hartungus pro ἀναίνομαι δὲ scribere τελῶ μὲν ἐς quamquam sane hoc verbum apud Euripidem extat. (Eur. Bacch. 822; Melanipp. fr. 29.) Atqui vehementer errat Hartungus quum dicit, vulgatam ἀναίνομαι δὲ quae metro non inserviret ex sequenti versu prioribus expulsis huc influxisse. Codices enim non γυναῖκας, sed γυμνάς exhibent. Itaque quum artes critices quibus homines docti hunc locum expedire conati sunt, cognovimus, sequitur utrum interpretum rationes hos versus explicandi

comprobandae sint necne. Optime eorum qui γυναῖκας in textum receperunt, transtulit Heathius haec verba: Praecluditur autem mihi mulierum consortium, cum virgo sim: nec ulla amplius spes est de nuptiis Castorum qui sq. Nec tamen Electra hic conqueri putanda est quod mulierum consortium sibi praecludatur neque Seidlero assentiendum est: In tantam iniquitatem et contemptum deiectae nihil mihi consortii est cum mulieribus *quamquam* sum virgo sq. Non enim quamquam, sed *quia* virgo Electra est, praecluditur ei mulierum consortium quo nihil aliud dicere vult nisi 'se ipsam quae neque propria virgo neque propria uxor sit, (El. 44. 99. 269. 935. Iph. T. 562. Or. 663.) misera vitae condicione uti.' Restat ut nunc videamus, num vulgata quam tuentur Kirchhoffius et Nauckius probabiliter defendi possit. Profecto vulgata lectio omni sensu non destituta est, ut verborum ordo sit hic: Aversor virgines (*παρθένους*) i. e. a virginibus contemnor quia istae colono nupsisse me contendunt; aversor etiam Castorem nec ulla amplius spes est de nuptiis Castorum. Nec tamen hanc interpretationem ex se non ineptam hoc loco admitti posse reliquum est ut ostendam. Versum 311 *ἀναίνομαι μὲν γυμνὰς οὖσα παρθένους* itemque versum sequ. solum interpretamentum v. 310. *ἀνέορτος ἱερῶν καὶ χορῶν τητωμένη* esse, ex iis quae supra dixi, perspicitur. Ii enim qui v. 310 interpretaturi erant quod chori solum per virgines ducerentur (Eur. El. 174; 179; Phoen. 1265) eamque ob causam Electra expers festorum sacrorum et choreis privata esset, non male hoc explicarunt per *ἀναίνομαι δὲ γυμνὰς οὖσα παρθένους*. Porro repetitio verborum *ἀναίνομαι* quam tragici poetae reformidant, hic saltem ferri non potest neque ut Hartungo visum est, magna est suspicio, in alterutro versu *ἀναίνομαι* ortum esse ex altero. Multo verisimilius est, in hac verborum iteratione interpolationis vestigia deprehendi. Accedit etiam id quod supra v. 21 plures proci Electrae nominantur, hoc loco unus tantum Castor praesertim quum hic Electra Castori iam desponsa a parentibus, supra modo a procis Graeciae petita esse dicatur. Quid quod Dioscuri ipsi in fine huius fabulae quamquam epilogus spurius videtur esse, in scena apparent, ubi Pyladem Electram

uxorem ducere iubent. (Eur. El. 1249. 1342; Iph. T. 915.) Nonne potius putamus nugas egisse poetam si in hac fabula id efficere voluisset ut Castor cui Electra iampridem desponsa fuit, postremo eam Pyladi uxorem polliceretur? His autem veribus sublatis acerbissima differentia inter matris ac filiae conditionem lucescit et verba *αὐτὴ μὲν ἐκμοχθοῦσα* sq. summam oppositionis vim cum *μητὴρ δ' ἐμὴ* sq. reddunt quae quidem illis interpositis evanescit.

Cuiusvis generis interpolationes quas in disputatione hucusque tractavimus, pertinebant maximam partem ad eos locos qui sententiarum et verborum difficultate laborabant. Nunc sequuntur duo loci qui non ob eam rem disputandi occasionem criticis offerunt, verum potius quorundam nominum gratia quae modo poetae dicendi generi vel vulgari usui repugnant, (Eur. El. 251. 252.) modo structurae grammaticesque legibus non constringuntur. Extant autem duo versus in Orestis et paedagogi colloquio in quo ambo de Clytaemnestrae et Aegisthi caede instruenda verba faciunt quorum alter v. 602 in omnibus Codd. sic extat:

Ἦ πάντ' ἀνεσκευάσμεθ' ὥσπερ αἱ τύχαι;

Hoc igitur in loco quamquam quod sciam criticorum nullus offendit in voce *ἀνασκευάζεσθαι*, vix crediderim lectorum quemquam non substitisse nisi forte totam illam scenam lippis oculis perlegerit. Neque id solum offensioni est quod haec vox primo aspectu parum poesi digna videtur sed etiam praecipue illud quod neque apud Euripidem neque apud ullum poetam verbum *ἀνασκευάζεσθαι* invenitur. Contra apud prosae orationis scriptores hoc verbum usitatissimum est, ante omnia apud Xenoph. Demosth. Plutarch. neque etiam interpretes in hac voce explicanda nisi ad prosaicos se contulerunt. Musgravius, Seidlerus quique eos sequuti sunt simpliciter explicant: *ἀνεσκευάσμεθ'* ‚destruimur, evertimur.' In hoc enim composito praepositionem *ἀνά* eandem vim habere quam in *ἀναστῆσαι* et *ἀνάστατος* ut Suidam etiam explicare ‚*ἀνάστατον γίνεσθαι.*' Aliam viam Matthiae ingressus est cui *ἀνασκευάζεσθαι* ab argentariis petitum videtur quorum mensae *ἀνασκευάζεσθαι* ‚amoveri, tolli e foro' dicuntur. cf. Demosth.

πρὸς Ἀπατουρ. p. 895, 5; πρὸς Τιμοϑ. p. 1204, 26; p. 1205, 2; Andoc. I. p. 130. Qorum quum fortuna eversa sit, ανασκευάζεσϑαι h. l. est everti neque quisquam negabit, hanc significationem ad hunc locum idoneam esse. Sed utcunque sese res habet, id semper offensioni est quod hoc in uno loco (Pollux X, 16. Eur. El. 602.) legitur ἀνασκευάζεσϑαι. Praeterea verba ὥσπερ αἱ τύχαι nimis interpolationis vestigia prae se ferunt id quod homines docti haud ignorantes suspicati sunt Euripidem scripsisse ὥσπερ ἀτυχεῖς h. e. οἱ ἀτυχεῖς. Sed fac hic recte haec crasis se habeat, tamen aliam quandam et fortiorem quam huiusmodi comparationem repetimus neque etiam verisimile est, poetam tam illepida comparatione usum esse. Itaque inter duo haesito utrum hic versus omnino spurius habendus sit an pro ἀνεσκευάσμεϑ' aliud quid scriptum fuerit ad quod interpres aliquis ascripserit ὥσπερ αἱ τύχαι. Id unum manifestum est, versum ut in Edd. extat, ab Euripide non profectum esse. Meliore fortuna iudicare posse mihi vidur de altero loco qui paulo infra 608 sic legitur:

Σὺ δ', ἐκ βάϑρων γάρ πᾶς ἀνῄρησαι φίλοις
οὐδ' ἐλλέλοιπας ἐλπίδ' ἴσϑι μου κλύων.

Ac primum quidem in priore versu nullo pacto ferri possunt verba πᾶς ἀνῄρησαι φίλοις et utcunque hunc pannum versaveris, semper ad hanc miram structuram redeas necesse est. Quare fere incredibile est, nullum interpretem in hoc loco offendisse praeter nuper Kirchhoffium qui quum simile quid sensisse videatur, pro φίλοις coniecit φίλος. Ista quantumvis facilis sit coniectura, tamen a me non possum impetrare quomodo Kirchhoffius eam defendere velit. Heathius qui verba ita vertit: ‚Tu vero (nam funditus periisti totus amicis nec spem ullam reliquam fecisti) haec a me audiens accipe', his verbis alienum sensum imponit, velut si Orestis amici iam pridem eum mortuum credidissent neque ille amicis ullam spem videndi reliquisset. At vero hunc sensum huic loco inculcari non posse, tam versus praecedentes et sequentes quam tota sententia satis ostendunt qua paedagogus nihil aliud dicit nisi Orestem amicorum prorsus expertem esse. Eademque ex causa coniectura illa improbanda est ἐκ βάϑρων γὰρ πᾶς

ἀνήρησαι, φίλοις οὐδ᾽ ἐλλέλοιπας sq. quippe Orestes amicorum ope plane destitutus amicis spem relinquere omnino non potuerit. Accedit eliam id quod in eodem versu illa forma ἐκ βάθρων adverbii loco Euripidi inusitata est. Βάθρον dicitur omnino de fundamento qua ex significatione ducta est formula ἐκ βάθρων ‚funditus, stirpitus.' (Gl. Pollux I, 12.) Profecto hoc nomen apud Euripidem saepissime invenitur vel ipsa formula βάθρων ἄπο Iph. T. 1201 ubi tamen βάθρον non metaphorice ‚funditus, stirpitus' dictum est, verum potius simpliciter de fundamento Dianae imaginis. Hoc igitur in uno loco extat apud Euripidem formula ἐκ βάθρων. Heathius non immerito ista ἐκ βάθρων — ἐλπίδα parenthesi inclusit, exceptis ultimis verbis οὐδ᾽ ἐλλέλοιπας ἐλπίδα. Sed verba parenthesi seu cancellis circumsaepta non eo valere ut sensus languidus et inutilis in melius mutetur, hic locus clare docet. Etenim paedagogus sententiam, quae hoc loco repetitur, satis iam expressit v. 605. (Eur. Phoen. 402—403) nisi quod maiorem vim addit ἐκ βάθρων formula. Itaque pro certo habeo, verba ἐκ βάθρων γὰρ πᾶς ἀνήρησαι φίλοις non poetae sed interpreti deberi, qui sequentibus οὐδ᾽ ἐλλέλοιπας ἐλπίδ᾽ in margine ea ascripserit. Facillime enim fiebat ut interpretamenta inter versus vel in marginibus ascripta, cum in textum essent illata, cum genuinis verbis miscerentur. Talium glossematum magnus numerus iam expulsus est, maior tamen etiam nunc tollendus in tragoediis relinquitur. Nec tamen Hartungo concesserim ad cantica inprimis hanc observationem pertinere, quibus certiora fraudis indicia contineantur, siquando numeri perturbantur. Verba autem οὐδ᾽ ἐλλέλοιπας ἐλπίδ᾽ nullam interpolationis speciem prae se ferunt, sed simpliciter quae iam dixerat paedagogus complectuntur. Ceterum in mentem venit interpolatione remota hunc versum concinnare, Σὺ δ᾽ οὐ λελοιπὰς ἐλπίδ᾽ ἴσθι μου κλύων.

THESES.

I.

Thucyd. VII, 8: „καὶ οἱ μὲν ᾤχοντο φέροντες, οὓς ἀπέστειλε, τὰ γράμματα καὶ ὅσα ἔδει αὐτοὺς εἰπεῖν·' verba καὶ ὅσα — εἰπεῖν abundare Cobetio non concedo.

II.

Thucyd. VIII, 52: „βουλόμενον δὲ ὅμως, εἰ δύναιτό πως, πεισθῆναι', pro πεισθῆναι legendum est πιστευθῆναι.

III.

Apud Horatium Sat. I, 4, 11:
Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles
tollere est „aufferre, recidere.'

IV.

Ausonii Proff. VII, 41:
Nihil est ab omni
Parte beatum
primam syllabam vocis „omni' correptam esse.

V.

Euripid. Phoeniss. v. 27:
ὅθεν νιν Ἑλλὰς ὠνόμαζεν Οἰδίπουν
spurium esse Valckenarius non recte suspicatus est.

VI.

Alcibiadem sibi, non patriae consuluisse.